

tudinem habuit cum sacrificio Christi, ut de Melchisedech statim dicemus. At vero sacerdotium legis veteris similitudinem habuit cum sacerdotio Christi, quia illius fuit umbra et figura, præsertim quoad sacrificium eruentum, quod Christus obtulit, et quoad sanctificationem nostram, quod suo sanguine perfecit; sic enim per sacerdotium illud, legalis sanctificatio per sanguinem fiebat, ut in epistola ad Heb. late tractat Apostolus. Sacerdotium autem legis novæ simile est sacerdotio Christi in potestate offerendi in sacrificium eandem rem quam ipse obtulit, et in potestate conferendi veram sanctitatem et remissionem peccatorum; unde, quo hæc similitudo major est, eo hoc sacerdotium excedit in perfectione antiqua sacerdotia. Quanto enim lex gratiæ est perfectior lege naturæ et veteri, et quantum veritas superat figuram, tanto hoc sacerdotium reliqua antecedit. Unde tandem fit, etiam si sacerdotium particulare Melchisedech, cum sacerdotio legis novæ comparetur, inferius esse ac minus perfectum, ut patet, tum ex sacrificio oblato, tum ex potestate utriusque sacerdotii. Unde si comparetur cum sacerdotio ipsiusmet Christi, invenietur tanto inferius quanto Melchisedech inferior est Christo, ut ex sequenti sectione magis constabit, ubi solvemus ultimam rationem dubitandi in principio hujus sectionis positam, reliquis enim satisfactum jam est.

## SECTIO IV.

*Utrum Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech.*

1. Ad explicandam quæstionem hanc, oportet prius supponere quis fuerit hic Melchisedech, et quale fuerit sacerdotium ejus, quodve sacrificium Deo obtulerit.

2. *Hæresis de origine Melchisedech.* — Circa primum variis modis erratum est, tam circa naturam quam circa personam Melchisedech. Quidam enim hæretici negarunt, illum fuisse verum aliquem hominem, sed aliquam spiritualem virtutem, quæ assumpto corpore Abrahamæ apparuit, Genes. 14. Quorum fundamentum esse potuit, quia Paul., ad Heb. 7, eum fuisse dicit, *sine patre, sine matre, et sine genealogia.* Quæ non videntur vero homini posse convenire, et quia ibidem Paulus addit, *neque initium, neque finem dierum habuisse.* Ideo addiderunt etiam isti illum fuisse personam aliquam divinam, quæ sola neque initium, neque finem habet. Et quia ibidem di-

citur Melchisedech, *assimilatus Filio Dei*, dixerunt aliqui ex iis hæreticis, non fuisse personam Filii Dei, sed Spiritus Sancti. Quæ tota sententia habetur nomine Augustin. in q. 109 Veteris Testamenti, cum tamen sine dubio Augustini non sit; ipse enim, lib. de Hæresib., inter hæreses hanc refert, et est num. 34, cujus hæresis auctor fuit Hierax, ut Epiphanius refert, hæc. 67, qui etiam in 55 refert nonnullos hæreticos dixisse Melchisedech fuisse quamdam virtutem majorem Filio Dei, quia non trahit originem ab aliquo patre, sicut Filius Dei, et quia inter dignitates Christi recensetur, quod fuerit assimilatus Melchisedech in ordine sacerdotii. Alii vero dixerunt fuisse ipsam personam Filii Dei, quæ in Veteri Testamento sæpe apparere solebat in humana specie, et dicitur apparuisse Abrahamæ, Gen. 14, et repræsentasse Dei Filium, seipsum oblaturum aliquando in sacrificium in vera humana natura, et ideo dici, *assimilatum Filio Dei, et sine patre, et sine matre*, etc. Alii tandem dixerunt fuisse aliquem Angelum in assumpto corpore humano, quia si esset verus ac purus homo, non potuisset esse major Abraham, quia eo tempore nullus homo erat in mundo, aut Deo charior, aut majoris dignitatis et excellentiæ, quam Abraham. Et hujus sententiæ fuerunt Origen., Didymus, et alii, ut Hieronymus refert, tom. 3, epist. 126, ad Evagrium.

3. *Melchisedech verus et purus homo.* — Veritas tamen catholica duo docet; primum, Melchisedech fuisse verum hominem. Secundum, fuisse purum hominem. Primum docent Epiphanius, Augustinus et Hieronymus. locis citatis. Idem Augustinus, lib. 16 de Civitate, c. 22; Ambrosius, lib. 5 de Fide, c. 3, et alii statim citandi; et colligitur aperte ex historia Genes., c. 14, ubi dicitur Melchisedech, *rex Salem, et sacerdos Dei altissimi, et exivisse obviam Abrahamæ, et obtulisse panem et vinum, et accepisse decimas ab Abraham.* Quæ non possunt (servata historiæ veritate) nisi in verum hominem convenire. Contra fidem enim historiæ est, metaphorice et improprie illam interpretari, præsertim sine necessitate, et contra communem Patrum expositionem et sensum. Secundum vero ex hoc primo sequitur, quia secundum veram fidem humana natura neque ante, neque post incarnationem Filii Dei, alicui personæ divinæ est hypostatice unita. Cum ergo Melchisedech fuerit verus homo, et tanto ante Christi incarnationem extiterit, certum est nullam ex divinis personis

fuisse. Et eadem ratione constat non fuisse Angelum; quia neque in persona angelica facta est, imo neque fieri potest hypostatica unio; fuit ergo persona pure humana.

4. Quis autem ille fuerit, non mirum si ignoretur, cum Paulus, *sine patre, sine matre, et sine genealogia*, illum fuisse dixerit. Multi tamen ex catholicis scriptoribus existimarunt illum esse hominem Gentilem, ex Cananæis ortum, virum justum, et sanctum, regem Jerusalem (quæ prius Salem, postea Jebus, tandem Jerusalem dicta est), et sacerdotem Dei altissimi; quanquam enim ex Gentilibus ortus esset, fidelis tamen erat, et verum Deum colebat, sicut Job fecisse legimus. Ita senserunt Irenæus, Hippolytus, Eusebius, Casariensis, et Emissen., quos cum aliis refert Hieronymus, in dicta epistola ad Evagrium, quos secutus est Epiphanius supra; et Theodoretus, q. 63 in Genes.; Theophylactus et Oecumenius, ad Heb., cap. 3.

5. Aliorum vero sententia, ex traditione Hebræorum sumpta, est Melchisedech fuisse Sem primogenitum Noe, et unum ex progenitoribus Abrahamæ. Quæ sententia placuit Hieronymo, citato loco, et lib. de Quæst. seu tradition. Hebræi. in Genes.; et eam secutus est Isidorus, lib. de Vita et morte Prophetarum, cap. 5; et Rupertus Abbas, lib. 5 de Trin. et operibus ejus in Genes., cap. 12; Abulensis, Lippom., Glossa et Lyra, Genes. 14. Quod si hæc sententia vera est, stare non potest quod Ignatius, epistol. 9 ad Philadelphios docet, Melchisedech fuisse virginem; constat enim, Sem filios genuisse. Quod vero Epiphanius objicit, Sem eo tempore fuisse jam mortuum, ex falsa chronologia processit; constat enim ex Scriptura Sem supervixisse Abrahamæ 35 annis, nam Sem vixit 600 annis, 98 ante diluvium, et 502 post diluvium, Genes. 11. Abraham vero natus est 292 post diluvium, ut facile constat ex eodem cap. 11 Genes.; unde fit consequens, natum esse Abraham 390 anno vitæ Sem; vixit autem 175 annis, Genes. 25; fuit ergo Sem superstes Abrahamæ annos 35.

6. *Objectio.* — *Responsio.* — *Objectio.* — *Responsio.* — At enim dicit aliquis: Sem habuit patrem et matrem, et initium et finem dierum, tam re ipsa quam narratione, et historia Scripturæ sacræ; at Paulus negat Melchisedech omnia hæc habuisse; ergo. Respondetur: primum, non intelligit Paulus Melchisedech revera caruisse parentibus, nam sicut verus et purus homo fuit, ita communi aliorum hominum more ortus est, et vitæ initium

habuit, et finem. Dicitur ergo his caruisse, quod nihil illorum Scriptura de illo memorat; cum tamen hæc soleat diligenter commemorare, præsertim cum insignium personarum mentionem facit, et maxime quia, cum Scriptura sacra non sine mysterio hæc prætermiserit, sed in figuram Christi, Paulus respiciens ad ipsam figuram, et ut eam explicaret, eum his omnibus carere dixit, non absolute, ut talis homo erat, sed ut in sacra Scriptura de eo fit mentio, nam ut sic est figura Christi. Et ita cessat objectio quæ nomine Augustini proponitur in illa q. 109 Veteris et Novi Testamenti, quia aliorum etiam fit mentio in Scriptura, quorum parentes et genealogia in ea non narrantur, et tamen non propterea dicuntur iis carere. Respondetur enim (quidquid de aliis sit) in nullo tamen ita factum esse in significationem, et repræsentationem Christi, qui matre caruit ut Deus, et patre ut homo, ut Paulus significavit, et exposuerunt Chrysostomus, hom. 42 ad Hebræos; Nazianzenus, orat. 38, in principio; Ambrosius, dicta epist. 82. Addit præterea Epiphanius, Melchisedech dici *sine genealogia*, in genere sacerdotii, quia, scilicet, non jure hæreditario, nec per successionem carnis sacerdotium habuit, imo neque ex parentum doctrina aut exemplo, quia ex gentilibus parentibus ortus creditur, quos etiam Epiphanius nominat, nescio ex qua traditione, et patrem dicit vocatum esse Eraclam, matrem vero Astaroth, seu Asteriam, sed hæc admodum incerta sunt. Supponendo vero Melchisedech eundem fuisse qui Sem, addendum est, licet nomine Sem genealogia ejus narretur in Scriptura, tamen sub nomine Melchisedech, et regis ac sacerdotis, sub qua Christum figurabat (ut infra dicemus) nullibi ejus historia narratur, sed raptim, et quasi obiter introducit, nulla prius vel posterius facta illius mentione, nec parentum, nec factorum ejus, neque initii, aut finis illius usque ad David; qui eodem fere modo illius meminit Psalm. 109, qui de Christo exponitur Matth. 22, et subindicavit illum Christi figuram fuisse, donec tandem Paulus, ad Hebr. 7, mysterium declaravit.

7. *Melchisedech sacerdotium quale.* — Secundo loco, videndum est quale fuerit Melchisedech sacerdotium, nam, an sacerdos fuerit, non reliquit dubitandi locum Paulus ad Hebræos, cap. 7. Suppositis autem iis quæ præcedenti sectione dicta sunt, nihil fere hic addendum occurrit. Dicendum est enim cum Ambrosio, Chrysostomo, et aliis supra cita-

lis, fuisse sacerdotem eo modo et genere sacerdotii, quod tempore legis naturæ in usu erat; neque enim visibili aliqua cæremonia consecratus fuit, nec singularem aliquam potestatem aut dignitatem a Deo obtinuit, ut ex Anacleto Papa, dicta epist. 2 Decretali, aperte colligitur, et ex Scriptura sacra aut ex aliqua alia historia aut traditione nihil aliud cum fundamento affirmari potest, quanquam verisimile sit, ex peculiari Dei instinctu et inspiratione, motum esse Melchisedech ad offerendum Deo certum genus sacrificii, quod jam explicabimus; ut enim supra dicebam, in lege naturæ non erant a Deo determinata sacrificia, sed homines suo arbitrio, vel fortasse etiam communi aliqua consuetudine pro diversitate regionum illa determinabant. Quod ergo alii faciebant humano arbitrio, potuit Melchisedech facere divino instinctu, sicut Abraham interdum obtulit sacrificium ex singulari Dei revelatione, Genes. 15; quod licet certum non sit, fiet tamen probabile ex iis quæ dicemus.

8. Tertio loco explicandum est quale fuerit sacrificium quod Melchisedech obtulit. Catholici enim dicunt illum obtulisse sacrificium panis et vini; hæretici autem negant, ex Scriptura sacra quidquam colligi posse de hoc sacrificio Melchisedech, quia nec Paulus illius mentionem facit, nec ex loco Genes. 14 aliquid colligi potest; quia ibi non obtulit Melchisedech sacrificium Deo ex pane et vino, sed tantum protulit panem et vinum, in refectionem eorum qui ex prælio fatigati veniebant; sic enim etiam vulgata lectio habet: *Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum*, id est, secum afferens, ut illa daret Abrahamo, et sociis ejus, *benedixit ei*, etc. Quam expositionem videtur indicare Chrysostomus, in Genes., et sensit etiam Cajet.; favet Joseph., lib. 4 Antiquit., c. 18, dicens Melchisedech Abraham convivio excepisse. Unde consequenter negant hæretici in illo facto Melchisedech intercessisse mysticam figuram, vel significationem sacram incruenti sacrificii Eucharistici a Christo oblato et instituti, quia solum fuit humanum quoddam convivium, et beneficentiæ opus. Quibus non parum videtur favere Paulus, ad Hebr. 7, qui cum accurate explicet omnia illa, in quibus Melchisedech videtur præfigurasse Christum, de hac similitudine in ritu sacrificandi nihil omnino dixit; quæ tamen, si fuisset, potissimum explicanda erat, cum esset omnium maxima.

9. *Sacrificium Melchisedech typus Eucharistiæ.* — Nihilominus constans et certa veritas est, et Melchisedech illo facto adumbrasse Eucharistiæ sacramentum et sacrificium, et protulisse panem et vinum non solum in corporalem refectionem, sed in religiosum cultum et sacrificium, quod Deo obtulit in gratiarum actionem pro victoria Abraham. Ita sentiunt Patres fere omnes antiqui, qui inde colligunt, ordinarium modum et ritum sacrificandi Melchisedech, fuisse per oblationem panis et vini. Quod primum probari potest ex illa particula causali, quæ interponitur in loco Genes.; sic enim dicitur: *Melchisedech, proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei*, etc. Quæ causalis inepta esset, nisi illa oblatio panis et vini esset sacra, et ad munus sacerdotis spectans. Respondent illam causalem non esse conjungendam cum antecedentibus, sed cum sequentibus verbis, ut reddatur causa, non cur panem protulerit, sed cur ei benedixerit. Sed hoc est vim inferre litteræ, quia (ut ex omni usu rectæ locutionis constat) particula, *enim*, in hujusmodi genere narrationis, non reddit causam rei narrandæ, sed jam narratæ; ut, ad Eph. 5 ait Paulus: *Ut filii lucis ambulate*. Et statim subdit: *Fructus enim lucis est in omni bonitate*. Et in illo capite sunt multa exempla similia, et passim in Scriptura, et de se res est manifesta. Adde etiam, ad benedicendum non oportuisse esse sacerdotem, nam parentes aut seniores benedicere possunt.

10. Difficilius tamen eludi potest hæc littera respondendo, in græcis et hebraicis exemplaribus non haberi particulam causalem, *enim*, sed copulativam, *et*, ut est in Hebræo, vel, *autem*, ut est in græco, apud Septuaginta. Nobis vero vulgata lectio sufficiat ad fidem faciendam, nam particula illa, quæ apud Hebræos est copulativa, sæpe æquivalet causali, ut notat Sanctus Pagninus, lib. 1 Institut., cap. 24, et ideo merito interpres vulgatus verum sensum assecutus, ut ambiguitatem tolleret, particulam causalem posuit, quia propter nullam aliam causam ibi interposita fuit mentio sacerdotii Melchisedech, nisi ut redderetur causa actionis, quam tunc exercuit. Quod secundo probatur veterum expositione, et testimoniis. Clemens Alexand., 4 Stromatum, circa finem, dicit, Melchisedech *panem sacrificatum Deo, obtulisse Abrahamo in refectionem*. Quo verbo non satis explicat, an ille panis fuerit antea sacrificatus, vel ibi coram

Abraham; quidquid vero horum dicatur, non multum ad præsentem quæstionem refert. Epiphani., hæres. 55, dicit, *Abraham obtulisse decimas sacerdoti in præputio sacra celebranti*. Theodoret., q. 63 in Genes., inquit, *Melchisedech dedisse Abraham panes et vinum, prout moris erat Deo omnium talia offerre, animadvertens enim, et in hoc typum patet fieri*. Damasc., lib. 4 de Fide, c. 14, dicit, *mensam illam, nostram adumbrasse*. Idem fere Euseb., lib. 5 Demonstrat. Evang., c. 2 et 3. Et Cæsarius, homil. 5 de Paschate, tom. 7 Biblior. sanct.; et hoc magis sentit Chrysost., hom. 25 in Genes., dicens, *illum panem et vinum fuisse figuram Eucharistiæ*. Item Eucher. ibi. Ex Latinis, Cyprian., lib. 2, epist. 3, et serm. de Cæna Domini, dicit, *in oblatione Melchisedech figuratam esse incruentam Christi oblationem*; et Ambrosius, ad Hebr., c. 5, dicit Scripturam semel tantum fecisse mentionem oblationis Melchisedech, ad significandam perfectionem sacrificii Christi, *qui una oblatione consummavit sanctificatos*. In nullo autem loco fit ejus mentio, nisi Genes. 14. Et lib. de iis qui initiantur, c. 8, dicit Melchisedech obtulisse quæ *Abraham veneratus accepit*, per verbum illud, *veneratus*, satis declarans illam oblationem fuisse sacram; similia habet lib. 4 de Sacrament., c. 3; in lib. autem 1 de Abraham, c. 3, dicit, *Abraham sacrificasse Deo, Genes. 14*; intelligi autem debet sacrificasse per Melchisedech; sic enim ipse exposuisse videtur, lib. 3 de Fide, c. 5, dicens: *Illum Melchisedech, per quem Abraham hostias Deo obtulit, non Angelum utique secundum Judaica ludibria intellexit Ecclesia, sed virum sanctum, ac sacerdotem Dei, typum gerentem Domini*, etc. In eadem sententia est Hieronym., in citata epistola ad Evag., et 1 tom., epistola decima septima ad Marcel., ut commigret Bethleem, et Matth. 26, et habetur in cap. Accipite, de Consecrat., dist. 2. Augustinus etiam, lib. 1 contra Adversar. leg. et prophet., c. 20, et lib. 16 de Civit., c. 22, dicit, *ibi primum apparuisse sacrificium, quod a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum*. Idem fere lib. 17, c. 17, et conc. 1 in Psal. 33, et exponens illa verba Psal. 109: *Tu es sacerdos in æternum*. Ubi Cassiodor., et alii antiqui expositores. Idem Isidor., lib. 7 Etymolog., c. 6, et lib. Allegoriar., circa princip. Ac denique in Concil. Aquisgranensi, tempore Pipini celebrato, lib. 1, c. 17 et 18: dicit, *Melchisedech in eo facto typum gessisse Christi*. Et expressius Tridentinum, sess. 22,

cap. 1: *Christus, inquit, sacerdotem, secundum ordinem Melchisedech, se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit*. Quibus verbis satis significavit Concilium obtulisse Melchisedech sacrificium, quod figura fuit incruenti sacrificii, a Christo oblato; hæc enim ratione Christus, offerendo tale sacrificium, declaravit se esse illum sacerdotem æternum, in Melchisedech figuratum, et propterea in canone Missæ dicitur: *Et quod tibi obtulit summus tuus sacerdos Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*. Et in officio de Eucharistia canit Ecclesia: *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem et vinum obtulit*. Denique etiam antiquos Hebræos ita intellexisse locum Genes., et oblationem Melchisedech, referunt Galatinus, lib. 10 de Arcanis cathol. verit., c. 4, 5 et 7; Genebrar., in Chronograph., in 3 Ætate, pag. 13, in tom. 5 Biblior. sanct.; Rabbi Samuel, lib. de Adventu Mes., c. 19, sic inquit: *Melchisedech sacrificium Deo instituit in pane et vino, ex quibus communicavit Abraham amicum Dei*; aperte significans simul fuisse illum panem, figuram nostri sacrificii et sacramenti. Quomodo etiam dixit Rabbi Moyses, citatus a dictis auctoribus, *Melchisedech convivio excepisse Abrahamum e bello revertentem, pane et vino de ritu gentis sollemniter prius oblato*. Etenim, cum Abraham tunc victor rediret, et spolia inimicorum secum ferret, conjectare possumus, non admodum indiguisset tunc pane et vino ad solam corporalem refectionem, sed fuisse illam aliquam religiosam cæremoniam in gratiarum actionem. Alia denique conjectura esse potest, quia cum sacerdotium Melchisedech, et ordo illius adeo sit celebris in Scriptura sacra, non est verisimile, ritum illius sacerdotii nullibi esse indicatum.

11. His positus, veniamus jam ad propositam quæstionem de Christi sacerdotio secundum ordinem Melchisedech. In qua breviter dicendum est primo, Christum esse sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hoc est de fide, ex testimonio Psal. 109, quem de se exponit Christus, Matth. 22, quia in primis illis verbis: *Dixit Dominus Domino meo*, David introducit Patrem æternum ad Filium seu Messiam et Christum loquentem; nullum enim alium, David vocasset Dominum suum, neque alicui homini, nisi esset naturalis Filius, diceret Pater: *Sede a dextris*